

bonis illi maxime fruuntur, qui hoc præceptum
servant diligenter.

Hoc præceptum violare quantum crimen.

XXXIX. Qui vero hanc legem omnino negligunt, ii, cum deo et Ecclesie non obediant, neque ejus præceptum audiant, et Dei et sanctarum legum hostes sunt; quod aninadverti potest ex ea quod præceptum hoc ejusmodi est, ut nullo labore servari queat. Cum enim Deus non labores nobis imponat, quos vel difficillimos ejus causa suscipere deberemus, sed quietos illis diebus festis a terrenis curis liberos esse jubeat, magnæ temeritatis indicium est, hujus præcepti legem recusare. Exemplo nobis esse debent supplicia, quæ de illis Deus sumpsit, qui illud violarunt, ut ex libro Numerorum (a) licet intelligere.

Nota. Ne igitur in hanc Dei offensionem incidamus, opere pretium erit sepe illud verbum, *memento*, cogitatione repetere, magnasque illas utilitates et commoda sibi ante oculos proponere, quæ ex festorum dierum cultu percipi supra declaratum est: et multa alia ad id genus pertinientia, quæ bonus et diligens pastor, ut occasio nis ratio postulabit, copiose lateque per equi poterit.

DE QUARTO PRÆCEPTO DECALOGI.

HONORA PATREM TUUM ET MATERM TUAM, UT SIS LON GÆVUS SUPER TERRAM QUAM DOMINUS DEUS TUUS DABIT TIBI.

Hoc præceptum superioribus ut conveniat.

I. Cum in superioribus præceptis summa sit vis et dignitas, merito quæ nunc persequimur,

(a) Num. 15, 32 et seqq.

quia maxime necessaria sunt, proximum locum obtinent: nam illa finem, qui Deus est, continuo spectant: hec nos ad proximi charitatem erudunt; etsi longius progressa, ad Deum, id est, illud extrellum cuius gratia proximum ipsum diligimus perducunt. Quamobrem Christus Dominus præcepta illa duo de diligendo Deo et proximo (a) similia inter se esse dixit. Vide Augustinum in Psal. 52, serm. 52, item libro 3 de Doctrina christiana, c. 10, et lib. 50, hom. 58. Divi Thomæ, 2, 2, quæst. 17, art. 8.

Dilectio Dei ex dilectione parentum eluet.

II. Hic autem locus dici vir potest quantas habeat utilitates: cum et suos fructus ferat uberes illos quidem ac pœstantes; et sit tanquam signum, ex quo primi præcepti obedientia et cultus eluet. Qui non diligit, inquit divus Joannes, (b) fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere? Ad eundem modum: si parentes, quos secundum Deum diligere debemus, non veneramur et colimus, cum nobis in conspectu fere semper sint; Deo summo parenti et optimo, qui nullum sub aspectum cadit, quem honorem, quem cultum tribuemus? ex quo perspicuum est utraque præcepta inter se con gruere.

Quam late pateat hoc præceptum.

III. Hujus autem præcepti usus latissime patet: nam præter eos qui nos genuerunt, multi præterea sunt, quos parentum loco colere debemus, vel potestatis, vel dignitatis, vel utilitatis, vel prœstantis aliquis muneris et officii nomine. Parentum præterea majorumque omnium laborem

(a) Matth. 22, 39. Marc. 12, 31. — (b) 1 Joan. 4, 20.

levat: cum enim id in primis carent, ut quos habent in sua potestate, ii recte et divinae legi convenienter vivant; erit haec cura perfacilis, si omnes intelligent, Deo auctore et monitore, summum honorem parentibus tribui oportere.

Cur duabus in tabulis præcepta sint data.

IV. Quod ut præstare possimus, necesse est nosse quamdam differentiam quæ est inter præcepta primæ et secundæ tabulæ. Ergo hæc primum a parocho sunt explicanda: idque in primis moneat divina Decalogi præcepta fuisse in duabus tabulis incisa: in quarum altera, quemadmodum a sanctis Patribus accipimus, tria illa continebantur quæ jam sunt exposita; reliqua vero in altera tabula erant inclusa. *Vide Clem. Alexand. lib. 6 Strom. satis ante finem. August. in Exod. quest. 71, et Epist. 119, c. 11. Divi Thom. 1, 2, q. 100, art. 4.*

Nota hanc rationem.

Atque hæc nobis perapposita fuit descriptio, ut præceptorum rationem ordo ipse distingueret: nam quidquid in sacris Litteris divina lege jubetur aut vetatur, id duorum generum oritur ex altero: aut enim erga Deum, aut erga homines charitas in omni officio spectatur. Et quidem charitatem in Deum superiora tria præcepta docent: quod vero ad hominum coniunctionem et societatem pertinet, id rei quis septem præceptis continetur. Quocirca nos sine cause ejusmodi est facta distinctio, ut alia ad priorem, alia ad alteram tabulam præcepta referantur.

Prima differentia inter præcepta primæ et secundæ tabulæ.

V. Nam superioribus tribus præceptis, de quibus dictum est, quasi subjecta materia quam

tractent, est Deus, id est summmum bonum. Carterius vero proximi bonum; illis summus, his proximus amor est propositus: illa finem, hec autem ea quæ ad finem referuntur spectant. *Vide August. in Psal. 32, serm. 1. Divi Thomæ 2, 2, quest. 122, art. 1 et 2, et in opusc. 7, c. De primo præcepto.*

Secunda differentia.

Præterea charitas Dei ex ipso pendet. Deus enim per se, non alterius rei causa, summe diligendus est: charitas autem proximi a charitate Dei ortum habet, atque ad eam tanquam ad certam regulam dirigenda est: nam si parentes charos habemus, si dominis paremus et dignitate antecedentes reveremur, id ea re maxime faciendum est, quod eorum procreator est Deus, eosque aliis præesse voluit, quorum opera caeteros homines regit ac tuerit, qui cum nobis auctor sit, ut ejusmodi personas reveremur, idcirco id prestare debemus, quia a Deo hoc ipso honore dignantur, ex quo sit, ut honor quem parentibus habemus, Deo potius quam hominibus haberi videatur: sic enim apud sanctum Matthaeum est, cum de observantia in superiores agitur: (a) Qui recipit vos, me recipit; et Apostolus in Epistola ad Ephesios, (b) servos instituens: Servi, inquit, obedite dominis carnalibus cum timore et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi. *Vide Augustinum lib. 5 de Doctrina christiana, c. 12, et lib. 4 Confess. c. 7, 10, 11, 12. Prosper. lib. 5 de vita contempl. c. 15. Bernard. de diligendo Deo.*

(a) Matth. 10, 40. — (b) Ephes. 6, 5.

Tertia differentia.

Accedit quod Deo nullus honor, nulla pietas, nullus cultus satis digne tribuitur, in quem amor augeri infinite potest: propterea que nostra erga illum charitas in dies fiat ardenter, necesse est, quem ejus jussu (*a*) ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus amare debemus. At charitas, qua proximum complectimur, suis finibus circumscribitur: jubet enim Dominus proximos diligere sicut nos ipsos.

Nota. Quod si quis hos fines egressus fuerit, ita ut parem Deo et proximis amorem tribuat, is maximum scelus admittit. Si quis venit ad me, inquit Dominus, (*b*) et non odit patrem suum et matrem, et uxorem, et filios, et fratres et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus; in quam sententiam item dictum est: (*c*) Sine ut mortui sepeliant mortuos suos: cum quidam primum humare patrem vellet, postea Christum sequi, cuius rei dilucidior illa apud sanctum Matthaeum explicatio est: (*d*) Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.

Parentes ut amandi.

VI. Nec tamen ultra dubitatio est quin parentes vehementer amandi observandique sint: sed ad pietatem in primis necessarium est, Deo, qui parentes et effector est omnium, praecipuum honorem et cultum tribui, ideoque mortales parentes amari, ut ad coelestem sempiternumque Patrem tota amoris vis referatur.

PARENTIBUS QUANDO NON OBEDIENDUM.

VII. Quod si interdum parentum jussa Dei pra-

(*a*) Deut. 6, 5. Luc. 10, 27. Matth. 25, 57, 58, 59. — (*b*) Luc. 14, 26. — (*c*) Luc. 9, 60. — (*d*) Matth. 10, 37.

ceptis repugnant, non dubium est quin liberi parentum cupiditati Dei voluntatem anteferre debeant, divinae illius sententiae memores: (*a*) Obedire oportet Deo magis quam hominibus,

Honorare quid sit.

VIII. Quibus rebus expositis, parochus verba praecepti interpretabitur, atque illud primum honorare quid sit: est enim, de aliquo honorifice sentire, et que illius sunt, maximi putare omnia.

Quam scite verbum honorare hic usurpetur.

IX. Huic autem honori haec omnia conjuncta sunt, amor, observantia, obedientia et cultus. Scite autem in lege posita est honoris vox, non amoris, aut metus, etiamsi valde amandi ac metuendi parentes sint: etenim qui amat, non semper observat et veneratur; qui metuit, non semper diligit: quem vero aliquis ex animo honorat, item amat et veretur.

Primo, dicendi sunt patres, genitores.

X. Haec cum parochus explicarit, tum aget de patribus, quique sint ii qui vocentur hoc nomine. Nam etsi de iis praeceps patribus lex loquitur, ex quibus generati sumus, tamen ad alios quoque pertinet hoc nomen, quos etiam complecti lex videtur: quemadmodum ex pluribus divinae Scripturae locis facile colligimus.

Secundo, Ecclesiaz prelati et sacerdotes.

Præter illos igitur qui nos procrearunt, patrum genera item alia sunt in sacris litteris, quod ante attigimus, quibus singulis suis honor debetur, ac primum Ecclesie presides, et pastores, et sacerdotes, patres dicuntur, quemadmodum

(*a*) Act. 5, 29.

ex Apostolo constat, qui ad Corinthios scribens :
 (a) Non, inquit, ut confundam vos, hec scribo : sed ut filios meos charissimos moneo. Nam si decem millia paedagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres; nam in Christo Iesu per Evangelium ego vos genui. Et in Ecclesiastico scriptum est : (b) Laudemus viros gloriosos et parentes nostros in generatione sua.

Tertio, magistratus.

Deinde ii quibus aut imperium, aut magistratus, aut potestas commissa est, qui rempublicam gubernant, Patres appellantur. Sic (c) Naaman a famulis pater vocabatur.

Quarto, tutores et magistri.

Præterea, patres eos dicimus, quorum procura-
 tionis, fidei, probitati sapientiaeque alii com-
 mandantur : cuiusmodi sunt tutores et curatores,
 paedagogi et magistri. Quare (d) Eliam et (e) Eli-
 seum filii prophetarum patrem vocabant.

Quinto, senes.

Postremo patres dicimus senes et ætate con-
 fectos, quos etiam vereri debemus.

Parentes cur honorandi.

XI. Atque hoc in parochi præceptis maximum
 sit, ut doceat patres, cuiuscumque sint generis
 præsertim vero eos ex quibus nati sumus, a no-
 bis honorandos, de quibus divina lex præcipue
 loquitur.

Sunt hic causæ variaz.

Sunt enim immortalis Dei quasi quedam sim-
 mulacula, in iisque ortus nostri imaginem intue-

(a) 1 Cor. 4, 14. — (b) Eccli. 44, 1. — (c) 4 Reg. 5, 15.
 — (d) 4 Reg. 2, 12. — (e) 4 Reg. 15, 14.

mur, ab iis vita nobis data est : iis Deus usus
 est, ut nobis animum mentemque impertiret, ab
 iis ad sacramenta deducti, ad religionem, ad
 humanum cultum civilemque instituti, ad mo-
 rum integratatem eruditи sumus. *De officiis filiorum erga parentes, vide Antonium, Augustinum,*
lib. 10, tit. 19.

Matris mentio hic fit jure.

XII. Doceat vero parochus, merito nomen ma-
 tris, in hoc præcepto expressum, ut ejus bene-
 ficia et merita erga nos consideremus, quanta
 cura et sollicitudine nos in utero gesserit, quanto
 cum labore ac dolore pepererit et educarit.

Primus honor debitus parentibus.

XIII. Porro ita observandi parentes sunt, ut,
 quem eis tribuum honor ex amore atque inti-
 mo animi sensu depromptus videatur, quibus
 hoc officium debetur maxime cum erga nos sint
 ita affecti, nullum ut labore, nullam conten-
 tionem, nulla pericula nostra causa refugiant,
 nihilque illis accidere possit jucundius, quam ut
 filii charos se esse sentiant, quos maxime dili-
 gunt. Joseph, (a) cum in Ægypto honore et am-
 plitudine regi esset proximus, patrem qui in
 Ægyptum venerat, honorificecepit; et Salomon
 (b) matri advenienti assurrexit, eamque venera-
 tus, regio in solio ad dexteram collocavit.

Secundus.

Alia præterea sunt honoris officia quae in pa-
 rentes conferri debent : nam eos tum etiam ho-
 noramus, cum a Deo suppliciter petimus ut eis-
 dem bene et feliciter omnia eveniant, ut in
 maxima gratia et honore sint apud homines, ut

(a) Gen. 46, 29. — (b) 3 Reg. 2, 19.

ipsi Deo ac sanctis qui in celis sunt commendatisimi sint.

Terterus.

Item parentes honoramus, cum nostras rationes ad eorum arbitrium voluntatemque conferimus, cuius rei suosor Salomon: (a) Audi, inquit, fili mi, disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ, ut addatur gratia capitii tuo et torque collo tuo: cujusmodi sunt etiam divi Pauli cohortationes: (b) Fili, obedite parentibus vestris in Domino; hoc enim justum est. Item, (c) Fili, obedite parentibus per omnia; hoc enim placitum est in Domino. Et sanctissimorum hominum exemplis confirmatur; etenim Isaac, (d) cum a patre ad sacrificium vinciretur, modeste ac sine recusatione paruit; et Rechabitæ, (e) ne a patris concilio unquam discrepant, vino se in perpetuum abstinuerunt.

Quartus.

Item, parentes honoramus, cum eorum recte facta, moresque imitamur; iis enim plurimum tribuere videmur quorum esse volumus quam simillimi.

Quintus.

Item, parentes honoramus, quorum consilia non modo exquirimus, verum etiam sequimur.

Sextus.

Item, quibus subvenimus, ea impertientes quæ victus cultusque desiderat, quod Christi testimonio comprobatur, qui phariseorum impietatem redarguens: (f) Quare et vos, ait, transgredimini

(a) Prov. 1, 8. — (b) Eph. 6, 4. — (c) Col. 5, 20. —
(d) Gen. 22, 9. — (e) Jer. 35, 6 et d. — (f) Matth. 15, 4.

mandatum Dei propter traditionem vestram. Nam Deus dixit: Honora patrem et matrem; et: Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur: vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri, vel matri, munus quocumque est ex me, tibi proderit; et non honorificabit patrem suum, aut matrem suam; et irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram. *Subveniendum esse parentibus, vide Basilius hom. de Honore parentum, et in Hexam. hom. 9. Amb. lib. 5 Hexam. c. 16. Concil. Gang. can. 16. Vide item Distinct. 86, multis in locis. Hieron. lib. 2. Commentar. in Matth. Aug. lib. 1. Quæst. evang. c. 14.*

Septimus et magni momenti.

Et honoris quidem officia parentibus tribuere semper debemus, sed tum maxime cum periculose ægrotant: danda enim opera est, ne quid prætermittant quod vel ad peccatorum confessio- nem attinet, vel ad reliqua sacramenta, que a christianis hominibus percipi debent, cum mors appropinquat: idque nobis curæ sit, ut pii religiosique homines eos crebro invitant, qui vel imbecillos confirment, et consilio juvent, vel optime animatos ad spem erigant immortalitatis; ut, cum mentem a rebus humanis excitarint, totam conjiciant in Deum: sic flet, ut fidei, spei et charitatis beatissimo comitatu ac religionis præsidio muniti, mortem non modo non pertimescandam, cum necessaria sit: sed cum adiutum ad æternitatem expediatur, etiam appetendam censemant.

Octavus et ultimus.

Postremo vel mortuis parentibus honor tri- buitur, si iis funus facimus, si exequias coho-

(a) Matth. 15, 4.

nestamus, si honorem sepulturæ impertimus, si justa et sacrificia anniversaria curamus, si quæ ab iis legata sunt diligenter persolvimus.

Honorandi sunt et alii qui patres appellantur.

XIV. Honorandi autem sunt non modo ii ex quibus nati sumus, verum etiam alii, qui patres appellantur, ut episcopi et sacerdotes, ut reges, ut principes, ut magistratus, ut tutores, ut cætatores, ut magistri, ut pædagogi, ut senes et cæteri ejusmodi: digni enim sunt, qui ex charitate, ex obedientia, ex ope nostra fructus percipient, sed alius alio magis.

Prælati et presbyteri ut honorandi.

XV. De episcopis et aliis pastoribus ita scriptum est: (a) Qui bene presunt presbyteri, duplice honore digni habeantur: maxime qui laborant in verbo et doctrina. *Vide Ambros. comment. in euudem locum.*

Primus. — Jam vero quanti erga Apostolum amoris documenta Galate dederunt, quibus is præclarum illud benevolentiae testimonium tribuit: (b) Testimonium enim perhibeo vobis, quia, si fieri potest, oculos vestros eruissetis et dedissetis mihi.

Secundus. — Quin etiam sacerdotibus ea supeditanda sunt quæ ad vitæ usus necessarios requiruntur: quare Apostolus: (c) Quis, inquit, militat suis stipendiis unquam? Et in Ecclesiastico (d) scriptum est: Honorifica sacerdotes: et propurga te cum brachiis: da illis partem, sicut mandatum est tibi, primitiarum et purgationis. *Decimas solvendas esse, vide Concilium Aurel.*¹

(a) 1 Tim. 5, 17. — (b) Gal. 4, 15. — (c) 1 Cor. 9, 7. —
(d) Eccli. 7, 35.

c. 17. Matiscon, 2, c. 5. Foroju. c. ultimo. Late-ran. Magnum, c. 55. Trident. sess. 25, c. 13, vide item multa, c. 16, quæst. 4 et 7. Tit. de Decimis in decretis. Divi. Th. 2, 2, q. 81.

Tertius. — Illis etiam obtemperandum esse docet Apostolus: (a) Obedite, inquit, præpositis vestris et subjacete eis, ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.

Nota. Quin potius a Christo Domino præceptum est, ut vel improbis pastoribus obtemperemus, cum dicat (b): Super cathedram Moysis sederunt scribe et pharisei: omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate et facite: secundum opera vere eorum nolite facere: dicunt enim, et non faciunt.

Cæteris item magnatibus habendus honor.

XVI. Idem de regibus, de principibus, de magistratibus et reliquis, quorum potestati subjecimur, dicendum est. Iis vero quod honoris, cultus, observantie genus tribuendum sit, Apostolus ad Romanos (c) late explicat, pro quibus etiam (d) orandum esse monet; et divus Petrus: (e) Subjecti, inquit, estote omni humano creaturæ propter Deum, sive regi quasi præcellentí, sive duicibus tanquam ab eo missis. *Vide Tertull.* in Apol. 8, 30 et 32, et ad Scap. c. 2.

Principes honore divino colendi sunt.

XVII. Nam si quem eis cultum tribuimus, is ad Deum refertur; habet enim venerationem hominum excellens dignitatis gradus, quia divine potestatis est instar, in quo etiam bei providentiam veneramur, qui publici muneris procuratio-

(a) Hebr. 13, 17. — (b) Matth. 25, 2, 5. — (c) Rom. 13, 1
(d) 2 Tit. 2, 2. — (e) 1 Pet. 2, 15.

nem iis attribuit, quibusque utitur, tanquam protestatis sue ministris. *Vide Augustinum, lib. 5 de Civitate Dei, c. 10, 11, 14 et 15.*

Malis principiis quando obediendum.

XVIII. Nec enim hominum improbatem, aut nequitiam, si tales sint magistratus, sed divinam auctoritatem quae in illis est, reveremur, ut, quod permirum fortasse videatur, quamvis in nos sint inimico infensoque animo, quamvis implacabiles, tamen non satis digna causa sit cur eos non perofficiose observemus; nam et Davidis magna in Saulem officia existerunt, cum ei tamen esset offensior, quod innuit illis verbis: (a) *Cum iis qui oderunt pacem, eram pacificus.*

Eisdem quando non obediendum.

XIX. At vero, si quid improbe, si quid inique imperent, cum id non ex potestate, sed ex injustitia, atque animi perversitate agant, omnino non sunt audiendi.

Merces huic præceptio proposita est.

XX. Ubi hæc parochus sigillatim exposuerit, deinceps consideret quodnam præmium, quamque consentaneum iis propositum sit, qui divino huic præceptio obediunt, nam in eo fructus est maximus, ut diu vivant: propterea quod digni sunt, qui beneficio quam diutissime perfruantur, cuius memoriam perpetuo conservant. Cum igitur, qui parentes colunt, iis gratiam referant, a quibus lucis et vitæ usuram habent, jure et merito vitam ad summam senectutem perducunt.

Hæc promissa merces explicanda.

XXI. Tum adjungenda est divinae promissionis

(a) Ps. 119, 7.

illustris explanatio: neque enim solum sempiterna ac beatæ, sed hujus etiam, quam in terris agimus, vita usus promittitur: cuius sententia interpres est divus Paulus eum inquit: (a) *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vite quæ nunc est, et futurae.*

Non exigua est hæc merces.

XXII. Nec vero hæc merces aut exigua est, aut contemnda, etiamsi sanctissimi viri, ut (b) Job, ut (c) David, ut (d) Paulo mors fuerit optabilis, et (e) ærumnosis ac miseris hominibus vite propagatio sit injucunda: nam illorum verborum adjunctio: *Quam Dominus Deus tuus dabit tibi,* non modo temporis diuturnitatem ad vivendum, sed otium, quietem, incolumitatem ad bene vivendum pollicetur: nam in Deuteronomio non solum inquit: *Ut longo vivas tempore;* sed illud etiam addit: (f) *Ut bene sit tibi:* quod deinde ab Apostolo (g) repetitum est.

Hac mercede non gaudent multi obedientes filii, cur.

XXIII. Hæc autem bona eis suppeterem dicimus, quorum pietati Deus gratiam referat: aliter enim divini promissi fides et constantia non erit: cum interdum, qui majorem pietatem parentibus praesterunt, iis vita brevior sit: quibus id quidem contingit.

Prima ratio. — Vel quod iis optime consultur, qui prius vita excedunt, quam a virtutis et officiis religione discedant: (h) rapiuntur enim, ne malitia mutet intellectum eorum aut, ne fictio decipiat animam illorum.

(a) 1 Tim. 4, 8. — (b) Job. 3. — (c) Ps. 119, 9. — (d) Phil. 2, 17. — (e) 2 Cor. 5, 2 et d. — (f) Deut. 5, 16. — (g) Ephes. 6, 5. — (h) Sap. 4, 10, 11.

Secunda. — Vel quia, dum pernices et rerum omnium perturbatio impendet, e corporibus exocantur, ut communium temporum acerbitatem evadant. A facie enim malitiæ, inquit Propheta, (a) collectus est justus, quod sit ne eorum aut virtus aut salus periclitetur, cum a mortalibus flagitorum poenas repetit Deus.

Tertia. — Vel ne tristissimis temporibus ex propinquorum amicorumque calamitatibus acerbissimos luctus sentiant.

Nota. Quare metuendum est majorem in modum, cum viris bonis immatura mors accidit.

Ingrati filii graviter puniendi.

XXIV. Ac quemadmodum iis qui grati in parentes sunt, officii merces et fructus est a Deo propositus, sic ingrati et impii filii gravissimis poenis reservantur; scriptum est enim: (b) Qui maledixerit patri suo, vel matri, morte moriatur. Et: (c) Qui affligit patrem et fugat matrem, ignominiosus est et infelix. Et: (d) Qui maleficit patri suo vel matri, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris. Et: (e) Oculum qui subsannat patrem, et qui despicit patrum matris sue, effodiunt eum corvi de torrentibus et comedant eum filii aquilæ. Qui parentibus injuriam intulerunt, multos fuisse legimus, in quibus ulciscens dei ira cundia exarsit; non enim Davidem inultum reliquit, sed sceleri debitas poenas dedit Absalon, (f) quem ob ejus scelus, tribus hastis transfixum punivit.

(a) Isa. 57, 1. — (b) Exod. 21, 16, 17. Lev. 20, 9. — (c) Prov. 19, 26. — (d) Ibid. 20, 20. — (e) Ibid. 30, 17. — (f) 2 Reg. 18, 14.

Sacerdotibus non obedientes ut puniantur.

XXV. De iis vero qui sacerdotibus non obtemperant, scriptum est: (a) Qui superbierit nolens obediere sacerdotis imperio, qui eo tempore ministeriat Domino Deo tuo ei decreto judicis morietur homo ille. Vide Clem. Epist. 3, sub initio. Item Epist. primam etiam sub initio. Ambros. lib. 2. Offic. c. 24. Hieronym. Epist. 2. post med. Vide item 11, quæst. 5, c. 11, 12, 13.

Officia parentum in filios.

XXVI. Et quemadmodum divina lege sancitum est ut parentibus filii honorem habeant, ut parentant, ut obsequantur: sic parentum propria officia sunt alque munera, ut sanctissimis disciplinis ac moribus filios imbuant, iisque optimæ dent vivendi precepta, ut ad religionem instructi et parati, Deum sancte inviolateque venerentur; quod a parentibus Susanna (b) factum esse legimus. Itaque sacerdos parentes commoneat, ut se liberis magistris præbeant virtutis, æquitatis, continenterie, modestiae et sanctitatis.

Tria cavenda parentibus.

XXVII. Triaque præsertim declinet, in quibus sape offendere conueverunt.

Primum. — Primum ne quid acerbius in liberos aut loquantur, aut statuant; quod Apostolus in epistola ad Colossenses ita præcipit: (c) Patres, nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant; nam periculum est ne fracto abjecto que animo sint, dum omnia timent. Quare illud præcipiat, ut nimiam severitatem

(a) Deut. 17, 12. — (b) Dan. 13, 5. — (c) Colos. 3, 21.

effugiant, malintque liberos corrigere, quam ulcisci.

Secundum. — Deinde, si qua culpa commissa est, cum necessaria sit castigatio et objurgatio, ne quid liberis per indulgentiam dissolute remittant: s^epe enim filii parentum nimia lenitate et facilitate depravantur; quamobrem a dissoluta indulgentia deterret, exemplo (a) Heli summi sacerdotis qui, quod in liberos indulgentior fuerat, maximo supplicio est affectus.

Tertium. — Postremo, ne, quod fedissimum est, in filiorum educatione ac doctrina, praeponstera consilia ineant; etenim permulti in hac una cogitatione curaque versantur, ut opes, ut pecunias, ut lautum et amplum patrimonium liberis relinquant: quos non ad religionem, nou ad pietatem, non ad bonarum artium disciplinam, sed ad avaritiam et ad rem familiarem augandam cohoruntur; nec de filiorum existimatione et salute sunt solliciti, dummodo pecuniosi sint et perdites: qua quid dici aut cogitari turpius potest? ita fit, ut ad illos non tam rerum copias, quam sua scelerata flagitia transferant; quibus tandem non ad cœlum se duces prebent, sed ad inferorum supplicia sempiterna. Sacerdos igitur optimis præceptis parentes instituat, eosque ab (b) Tobiae exemplum ac similem virtutem excitet, ut, cum filios ad Dei cultum et sanctimoniam probe erudierint, ab iis etiam amoris, et observantie, et obsequii uberrimos fructus capiant.

DE QUINTO PRECEPTO DECALOGI.

Quam utile sit hoc præceptum explicare.

I. **Non occides.** Magna illa, quæ pacificis homi-

(a) 1 Reg. 2, 5 et 4. — (b) Tob. 4.

nibus proposita est, felicitas: (a) quoniam filii Dei vocabuntur, pastores maxime commovere debet, ut præcepti hujus disciplinam fidelibus diligenter accurateque tradant: nam ad conciliandas hominum voluntates nulla melior ratio iniri potest, quam si ejusmodi præcepti lex recte explicata, ab omnibus, ita ut oportet, sancte serveytur: quoniam tum sperare licet, ut summa animi conseruacione conjuncti homines concordian et pacem maxime colant.

Quam necessarium.

II. Sed quam necesse sit præceptum hoc explicari ex eo perspicitur, quod, immensa illa universæ terræ inundatione facta, hoc unum in primis est, quod Deus hominibus interdixit. (b) Sanginem, inquit, requiram animarum vestrarum de manu cunctarum bestiarum et de manu hominis. In Evangelio etiam, quo primum veteres leges a Domino explicatae sunt, in iis haec prima est, de qua apud sanctum Matthæum ita scriptum est: (c) Dicitum est enim: Non occides, et reliqua, quæ hac de re eo ipso loco deinceps commemorantur.

Ut audiendum est hoc præceptum.

III. Fideles præterea attente libenterque præceptum hoc audire debent: si enim ejus vis spectatur, ad vitam cuiusque tuendam valet: quoniam iis verbis: Non occides, homicidium omnino interdictum est.

Hoc præceptum auditu jucundum.

IV. Itaque singuli homines tanta cum voluptate animi illud accipere debent, proinde, ac si, ira Dei proposita, gravissimisque aliis poenis, nomi-

(a) Matth. 5, 9. — (b) Gen. 9, 5. — (c) Matth. 5, 21. et d.

natum prohibitum sit, ne quis eorum lœdat: ergo ut præceptum hoc auditu iucundum est, ita ejus peccati cautio, quod præcepto prohibetur, iucunditatem habere debet.

Duo hic præcipiuntur.

V. Cum autem hujus legis vim Dominus explicaret, in eo duo contineri ostendit.

Alterum, ne occidamus, quod a nobis fieri vetitum est.

Alterum, quod facere jubemus, ut concordia amicitia charitate inimicos complectamur, pacem habeamus cum omnibus, cuncta denique incommoda patienter feramus.

Quæ cædes non hic prohibeantur.

VI. In eo autem, quod cædes prohibentur, illud primum docendum est, quæ sint cædes ejusmodi quæ hac præcepti lege non vetentur.

Prima. — Nam bestias occidi prohibitum non est: quoniam si illis vesci a Deo hominibus est concessum, fas item est illas occidi: quæ de re ita sanctus (a) Augustinus: Cum audimus, inquit, Non occides, non accipimus hoc dictum esse de frutetis, quia nullus est eis sensus: nec de irrationalibus animalibus, quia nulla nobis ratione sociantur.

Secunda. — Alterum permisum cædis genus est, quod ad eos magistratus pertinet, quibus data est necis potestas, qua ex legum præscripto judicioque in facinorosos homines animadverunt et innocentes defendunt; quo in munere dum juste versantur, non modo si cadiis non sunt rei, sed huic divinæ legi quæ cædes vetat, maxime

(a) De Civit. Dei, lib. 1, c. 20 item De Morib. Manich. lib. 2, c. 15, 14, 15.

obedient. Cum enim legi huic finis is propositus sit, ut hominum vita salutique consulatur, magistratum item, qui legitimis sunt scelerum vindices, animadversiones eodem spectant, ut audacia et injuria supplicis repressa, tuta sit hominum vita. Quare (a) David: In matutino, inquit, interfiebam omnes peccatores terræ, ut disperderem decivitatem Domini omnes operantes iniquitatem. August. Epist. 154, et citat. 23, quæst. 5, c. De occidentis. Item Epist. 54, et citatur ibid. c. Non est iniquitatis. Vide adhuc ibid. alia capita, et divi Thomæ 2, 2, quæst. 64, art. 2, et quæst. 108, art. 5.

Tertia. — Qua ratione ne illi quidem peccant, qui justo bello, non cupiditate aut crudelitate impulsi, sed solo publicæ utilitatis studio vitam hostibus admunt. August. de Civitate Dei, c. 26, citatur 25, quæst. 5, capite Miles. Vide item De bello D. Thomæ 2, 2, quæst. 40, art. 4.

Quarta. — Sunt præterea ejusmodi cædes quæ nominatim jussu Dei fiunt. Levi filii non peccaverunt, qui una die tot milia hominum occiderunt, quæ cæde facta, sic ad eos locutus est Moyses: (b) Consecrasti manus vestras hodie Domino.

Quinta. — Neque vero hujus præcepti reus est, qui non sponte neque meditato, sed fortuito hominem occidit: qua de re in Deuteronomii libro ita est: (c) Qui percosserit proximum suum ne sciens, et qui heri et nudius tertius nullam contra eum odium habuisse comprobatur, sed abiisse cum eo simpliciter in silvam ad ligna cædenda, et in successione lignorum securis fugerit manu, ferrumque lapsum de manubria amicuum ejus percosserit et occiderit, etc. Haec cædes ejusmodi

(a) Ps. 100, 8. — (b) Ex. 32, 59. — (c) Deut. 19, 14 et seq.

sunt, quæ quia non voluntate neque de industria inferuntur, propterea non omnino in peccatis numerantur: quod sancti Augustini (a) sententia comprobatur. Absit enim, inquit, ut ea quæ aut propter bonum, aut licitum facimus, si quid per hæc præter nostram voluntatem cuiquam mali acciderit, nobis imputetur.

Duo casus notandi.

VII. In quo tamen duabus de causis peccari potest: altera si quis, in re iusta occupatus, hominem occiderit, exempli causa.

Prior. — Si quis gravidam mulierem pugno vel calce percuteret, ex quo abortus sequeretur, fuisse quidem illud præter percussoris voluntatem, non tamen præter culpam, cum illi non licet ullo modo gravidam mulierem percutere.

Posterior. — Altera, si non omnibus circumspectus, negligenter et incaute aliquem occiderit.

Quæ cædes non prohibita.

Qua etiam ratione, si quis salutis sua defendendæ causa, omni adiubita cautione, alterum interemerit, hac lege non teneri satis appetet.

Quæ cædes hic prohibeatur.

VIII. Atque haec quidem quas modo commemoravimus, cædes sunt, quæ hoc legis præcepto non continentur; quibus exceptis, reliquæ omnes prohibentur, sive homicidiam quis spectet, sive qui occiditur, sive modos quibus cædes fit.

Quibus occidere prohibitum est.

IX. Nam quod ad eos pertinet, qui cædem fa-

(a) Vide August. Epist. 1, 54, et citatur 25, q. 1, c. De occidendis. Item vide multa capita, dist. 5. D. Thom. 2, 2, quæst. 64, a. 8. Trid. sess. 14, de Reform. c. 7.

ciunt, nemo plane excipitur, non divites, non potentes homines, non dominii, non parentes: sed delectu omni et discriminis remoto, occidere vetatum est omnibus.

Quos occidere non licitum.

X. Si vero hi spectantur qui interficiuntur, ad omnes haec lex pertinet: nec quisquam est tam humili et abjectæ conditionis homo, quin legis hujus vi defendatur.

Seipsum occidere nulli licet.

XI. Neque vero seipsum interficere cuiquam fas est: cum vita sua nemo ita potestatem habeat, ut suo arbitratu mortem sibi conciscere licet; ideoque legis hujus verbis non ita præscriptum est: Ne alium occidas, sed simpliciter: Ne occidas.

Quilibet modus occidendi prohibitus.

XII. Sin autem multipliem cedis facienda modum attendimus, nemo est qui excipiatur, non solum enim suis cuiquam manibus, aut ferro, aut lapide, aut baculo, aut laqueo, aut veneno, vitam homini eripere non licet: sed consilio, ope, auxilio, vel alio quacumque ratione id fieri prorsus vetitum est.

Nota. In quo summa tarditas, stuporque Iudeorum fuit, qui crederent se hoc præceptum servare, si manus tantum a cæde abstinerent.

Nulli irasci, nedum quemquam occidere, licet.

XIII. Sed homini christiano, qui interprete Christo, didicit hanc legem spiritualem esse, nempe quæ non manus solum puras, sed animum et cæstum sincerumque nos habere docet, illud non satis omnino est, quod illi satis cumu-

late se præstare arbitrabantur; nam ne irasci quidem cuiquam licere in Evangelio traditum est; cum dicat Dominus: Ego autem deo volui.
 (a) Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio; qui autem dixerit fratri suo: Raca, reus erit concilio; qui autem dixerit fratre: Fatus, reus erit gehennæ ignis. *De ira*, vide Basil. Hom. 10. Chrysostom. Hom. 29, ad populum Antioch. Divi Thomæ, 2, 2. Quæst. 158, per totam.

Explicatur locus Evangelii.

XIV. Ex quibus verbis perspicuum est eum culpa non carere qui fratri succenseat, quamvis iram animo inclusam contineat: qui vero ejus iræ significacionem aliquam dederit graviter peccare, at multo gravius, qui non vereatur dure fratrem accipere et ei convicium facere. *Vide August.* *de Serm. Dom. in monte lib. 1. Divi Thomæ*, 2, 2, quæst. 158, art. 3.

Ira non prohibita, quæ?

XV. Et quidem hoc verum est, si nulla subit irascendi causa: nam ira causa quæ a Deo legibus conceditur, ea est, cum in eos animadvertisimus, qui nostro imperio potestati parent, si in eis sit culpa; christiani enim hominis ira non a carnis sensibus, sed a Spiritu sancto proficiet debet: cum nos (b) templo sancti Spiritus, in quibus Jesus Christus habitet, esse convenient.

Perfecta hujus præcepti observatio.

XVI. Multa præterea sunt a Domino tradita, quæ ad perfectam hujus legis rationem pertinent, qualia illa sunt: (c) Non resistere malo; sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram; et ei qui vult tecum in iudicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte

(a) Matth. 5, 22. — (b) 1 Cor. 6, 19. — (c) Matth. 5, 59.

ei et pallium; et quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo alia duo. *Vide August. Epist. 5 ad Marcellum*, et de Serm. Domini in monte, libro 2, c. 20.

Quam multi peccent contra hoc præceptum.

XVII. Ex his quæ jam commemorata sunt, animadvertere licet quam proclives sint homines ad ea peccata quæ hoc præcepto vetita sunt, quamve multi reperiantur, qui, si minus manu, animo saltem cedis scelus committunt.

Officium parochi.

XVIII. Et quoniam huic tam periculo morbo remedia in sacris Litteris adhibita sunt, parochi est officium ea diligenter fidelibus tradere.

Homicidium quantum crimen.

XIX. Præcipuum autem illud est, ut intelligent quam nefarium sit peccatum hominis cedes: idque vel plurimis maximisque sanctorum Litterarum testimonis perspici potest; usque enim adeo homicidium detestatur Deus in sanctis Litteris, (a) ut a bestiis hominum cedis pœnam se repetiturum dicat: ac belluam, que hominem laserit, occidi jubeat.

Nota. Neque aliam ob causam a sanguine hominem abhorre voluit, nisi ut omni ratione a nefaria hominis cede et animum et manus abstineret.

Homicidæ Deum ipsum impetunt.

XX. Sunt enim homicide humani generis, atque adeo naturæ hostes acerissimi, qui, quantum in eis est, universum Dei opus evertunt, cum hominem tollant, cuius causa is omnia quæcumque

(a) Gen. 9, 5, 6.

procreata sunt, se fecisse testatur : imo vero in Genesi cum prohibitum sit hominem occidi, quia illum Deus ad imaginem suam et similitudinem creavit, insigne Deo injuriam is facit, quasique violentas illi manus afferre videtur, qui ejus imaginem e medio tollit.

Quam propensus homo ad cædem.

XI. Hoc divina animi cogitatione meditatus David gravissime de sanguinariis hominibus conquestus est illis verbis : (a) Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem, neque simpliciter dixit : Occidunt ; sed : Effundunt sanguinem : que verba, ad detectabilis illius sceleris amplificationem, immanemque illorum crudelitatem ostendandam, protulit; utque declararet in primis, quam præcipites illi diabolico quodam impulsu ad id facinus ferantur dixit : Veloces pedes eorum.

Finis et scopus hujus præcepti.

XII. Jam vero, qua in hoc præcepto servanda esse Christus Dominus jubet, eo spectant, ut pacem cum omnibus habeamus: inquit enim, cum hunc locum interpretaretur; (b) Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum, et que sequuntur.

Charitas catholica præcipitur.

XIII. Quæ ita a parocho explicabuntur, ut doceat, sine ulla exceptione, omnes charitate complectendos esse; ad quam in hujus præcepti explicatione fideles quam maxime poterit incitatib;

(a) Ps. 15, 5. — (b) Matth. 5, 23.

quod in eo proximi diligendi virtus maxime elucet.

Odium vetatur.

XXIV. Cum enim odium hoc præcepto aperte vetetur, (a) quoniam qui fratrem suum odit, homicida est, certe illud consequitur, ut amoris et charitatis præceptum detur.

Charitatis officia præcipiuntur.

Cumque hac lege de charitate et amore præceptum sit, tum omnium etiam illorum officiorum atque actionum, que charitatem ipsam consequi solent, præcepta traduntur.

Patientia.

Charitas (b) patiens est, inquit divus Paulus; patientia igitur nobis præcipitur, (c) in qua nos animas nostras possessuros esse Salvator docet.

Beneficentiae officia.

XXV. Beneficentia deinde charitatis conies est et socia; quoniam (d) charitas benigna est.

Benignitas autem atque beneficentiae virtus late patet, ejusque officium in iis rebus maxime versatur, ut pauperibus suppeditemus res necessarias, cibum esurientibus, scientibus potum demus, nudos vestiamus: et quo quisquis opis nostræ magis indiget, eo in illum plus liberalitatis conferamus.

Beneficentia erga inimicos exercenda.

XXVI. Hæc beneficentiae et bonitatis officia, quæ per se sunt illustria, eo sunt illustriora, si inimicos præstentur; ait enim Salvator : (e) Diligitate inimicos vestros, benefacite iis qui oderunt

(a) 1 Joan. 5, 13. — (b) 1 Corinth. 15, 4. — (c) Luc. 21, 19. — (d) 1 Cor. 15, 4. — (e) Matth. 5, 44.

vos; quod etiam Apostolus monet illis verbis: (a) Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si siti, potum da illi; hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus: noli vinci a malo, sed vince in bono malum.

Mansuetudo et lenitas.

XXVII. Denique, si charitatis legem spectemus, qua benigna est, omnia quaecumque ad mansuetudinem, lenitatem, aliasque id generis virtutes pertinent, officia colere, ea lege præscribi intelligemus.

Præcipuum charitatis officium, injurias condonare.

XXVIII. At vero longe omnium præstantissimum officium, quod charitatis plenissimum est, in quo maxime nos exercere convenit, illud est, ut injurias quas accepimus, æquo animo remittamus atque condonemus; quod ut plane efficiamus, sæpe nos divinae Litteræ, (b) ut ante dictum est, monent atquehortantur, cum non beatos solum eos dicant, qui ita prorsus faciunt.

Nota. Sed errorum etiam veniam iisdem a Deo datam affirment; qui vero hoc ipsum facere negligunt, aut omnino recusant, illam non consequuntur.

Injuriarum oblivio inculcanda.

XXIX. Sed quoniam ulciscendi libido hominum in mentibus fere insita est, parochus maximam in

(a) Rom. 12, 20. — (b) Vid. Deut. 52, 35. Item 1. Reg. 23, 32, 35. item 26, 6, 7, 8, 9, item 2. Reg. 19, 20. Ps. 7, 5. Eccl. 28, per totum. Isa. 58, 6. Matth. 6, 14, et in Evangelio passim. Vide item Tertullian. in Apol., c. 51 et 57. Aug. in Joan. tract. 81, lib. 50, hom. 6, item. serm. 61 et 168 de tempore.

eo diligentiam ponat necesse est, ut injuriarum oblivisci, easque remittere christianum hominem oportere, non doceat solum, sed penitus etiam fidelibus persuadeat; cumque hac ipsa de re apud sacros scriptores multa fiat mentio, eos consulat ad resellendam illorum pertinaciam, qui in ulciscendi cupiditate, animo obstinato sunt atque obfirmato. Argumenta in promptu habeat, quæ illi Patres gravissima et ad eam rem maxime accommodata pie adhibuerunt. *Vide quæ citantur numero 28.*

Tria ad hoc argumenta.

XXX. Verum haec potissimum tria explicanda sunt.

Primum. — Primum est, ut qui se injuriam accepisse putat, ei maxime persuadeat, illum detrimenti, aut injuriæ præcipuum causam non fuisse, quem ipse ulcisci cupit. Sic admirabilis ille Job fecit, qui a Sabæis hominibus, a Chaldeis et a dræmoni graviter læsus, nulla tamen eorum habita ratione, ut vir rectus et homo admodum pius, recte pieque iis verbis usus est: (a) Dominus dedit, Dominus abstulit.

Dei bonitas in penit in flagrando.

XXXI. Itaque patientissimi illius viri oratione et exemplo christiani homines sibi persuadeant quod verissimum est, omnia quaecumque in hac vita patimur a Domino, qui justitia omnis misericordiaque parentis est et auctor, proficiunt. Neque vero ille nos, quæ ejus est immensa benignitas, ut inimicos punit, sed ut filios corrigit et castigat.

(a) Job. 1, 21.

Qui nos insequeuntur, ut habendi.

XXXII. Nec profecto, si recte animadvertisimus, n. hisce rebus homines aliud omnino sunt, nisi ministri et quasi satellites Dei, et quanquam homo potest male aliquem odire, pessimeque illi cupere, tamen ei, nisi permisso Dei, nocere nullo modo potest. Hac ratione adductus Joseph, (a) fratum impia consilia; sic David, (b) injurias sibi a Semei illatas equo animo tulerit.

Ad hanc item rem illud argumentum genus valde pertinet, quod sanctus (c) Chrysostomus graviter atque eruditely pertractavit, neminem scilicet, nisi a seipso, ledi; nam qui se injuriose tractatos esse opinantur, si rem recta secum via reputant, convenient profecto, nullam se ab alis injuriari aut damnum accepisse; etsi enim, quibus ipsi laeduntur, ea extrinsecus eveniunt, tamen se maxime ipsi offendunt, cum animum odio, cupiditate, invidia nefarie contaminant.

Secundum argumentum.

Alterum est, quod duo praecipua commoda complectitur, quae ad illos pertinent, qui pro erga Deum studio adducti, injurias libenter remittunt.

Prius commodum.

Quorum primum illud est quod (d) aliena debita remittentibus promisit Deus fore, ut ipsi etiam peccatorum veniam impetrarent: ex quo promisso, quam gratum illi sit hoc pietatis officium, facile appetit.

Alterum commodum.

Alterum commodum est, quod nobilitatem

(a) Gen. 43, 5. — (b) 2 Reg. 16, 10. — (c) Chrysost. 5 in hom. Quod nemo leditur nisi a seipso. — (d) Matth. 18, 35.

quamdam et perfectionem assequimur, quoniam (a) condonandis injuriis, quodammodo Dei similes efficiemur, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos.

Tertium argumentum.

Postremo explicata sunt incommoda illa, in que nos tum incidimus, cum injurias que nobis illatae sunt, condonare nolumus. Itaque parochus illis, qui sibi in animum inducere non possunt, ut inimicis ignoscant, ob oculos ponat, odiū non solum peccatum grave esse, sed etiam diu-
turnitate peccandi gravius inhærere.

Odiī perversitas.

XXXIII. Cum enim is, in cuius animo hic affectus incederit, inimici sui sanguinem sitiat: illius ulciscenda spe plenus, dies noctesque in perenni quadam malæ mentis agitatione ita versatur, ut nunquam a cedis aut nefaria aliquis rei cogitatione cessare videatur: quo sit ut is vel nunquam, vel maximo negotio ad id impellatur, ut aut prorsus ignoscat, aut aliqua saltem ex parte injurias remittat.

Nota. Quare merito vulneri comparatur cui telum infixum haeret.

Odiī assecula.

XXXIV. Multa præterea incommoda et peccata sunt, que hoc uno odii peccato, quasi vinculo quadam, juncta tenentur: ideoque divus Joannes in hanc sententiam ita dixit: (b) Qui fratrem suum edit, in tenebris ambulat et nescit quo eat: quia tenebrae obcaecaverunt oculos ejus; itaque saepius labatur necesse est. Etenim quo pacto fieri potest ut dicta aliquis aut facta illius probet quem

(a) Matth. 5, 45, 48. — (b) 1 Joann. 2, 11.

oderit? Hinc temeraria et iniqua iudicia existunt, ira, invidiae, obtrectiones et alia ejusmodi, quibus illi quoque implicari solent, qui aut cognatione, aut amicitia, juncti sunt.

Nota. Itaque sepe fit ut ex uno peccato multa existant.

Odium est peccatum diabolicum.

XXXV. Neque injuria dicitur, hoc peccatum esse diaboli; quandoquidem (*a*) ipse ab initio homicida fuit. Quamobrem Dei Filius Dominus noster Jesus Christus, cum sibi mortem Pharisei afferre cuperent, (*b*) illos a patre diabolo genitos esse dixit.

Remedia adversus odium.

XXXVI. Sed præter hæc quæ dicta sunt, unde sceleris hujs detestandi rationes peti possunt, alia quoque remedia, et ea profecto maxime opportuna, sanctorum Litterarum monumenta tradita sunt.

Primum. — Ac primum omnium remedium et maximum est Salvatoris nostri exemplum, quod ad imitandum nobis proponere debemus: is enim, cum ne minima quidem peccati suspicio in eum cadere posset, virgis cæsus, spinis coronatus et cruci denique affixus, eam habuit orationem plenissimam pietatis: (*c*) Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. (*d*) Cujus aspersiōnem sanguinis testatur Apostolus, melius loquentem quam Abel.

Secundum. — Alterum autem remedium ab Ecclesiastico propositum est, ut mortem atque illum iudicij diem recordemur: (*e*) Memorare, inquit ille, novissima tua, et in æternum non peccabis;

(*a*) Joan. 8, 44. — (*b*) Ibid. — (*c*) Luc. 23, 34. — (*d*) Hebr. 12, 24. — (*e*) Eccli. 7, 49.

quæ sententia eadem spectat ac si dicat: Illud sepe etiam atque etiam cogita, brevi fore, ut mortem obeas, proinde, quia tali tempore tibi optatissimum erit et maxime necessarium summam Dei misericordiam impetrare: eam tibi ob oculos jam nunc perpetuoque proponas necesse est; ita enim fiet ut immanis illa ulciscendi cupiditas tibi exhauriatur, cum ad misericordiam Dei implorandam nullum aptius majusve remedium invenias quam oblivionem injuriarum et amorem in eos qui te, aut tuos, re aut ratione violarint.

DE SEXTO PRÆCEPTO DECALOGI.

NON MÆCHABERIS.

Cur hoc ordine collocetur hoc præceptum.

I. Quoniam viri et uxoris vinculum arctissimum est, et nihil utrique jucundius accidere potest, quam intelligere se mutuo quodam et singulari amore diligi: contra nihil molestius quam sentire a se debitum et legitimum amorem alio transferri; recte quidem atque ordine illam, que hominis vitam a cede tuerit, legem hæc, que de mœchiis sive adulterio est, consequitur, ut sanctam illam et honorabilem matrimonii conjunctionem, unde magna charitatis vis existere solet, nemo ullo adulterii scelere violare aut dirimere audeat.

Cause explicandum est hoc præceptum.

II. Sed tamen in hac ipsa re explicanda cautus admodum sit parochus et prudens, et tectis verbis rem commemoret, quæ moderationem potius desiderat, quam orationis copiam; verendum est enim, ne, dum is late atque copiose nimis explicare studet quibus modis homines ab hujs legis